



EUROPA LATINA

“In Aetnae radicibus”

Symposium Latinum, Catinae, diebus 20-25.08.2016

Inter omnes satis constat consuetudinem Latine loquendi ac scribendi non tantum apud Romanos viguisse nec utique apud illos solum, qui hunc sermonem cum lacte nutricis suxerunt: lingua enim Latina per longum tempus ac fere usque ad saeculum XIX mirabile ac paene unicum exstitit instrumentum, quo viri docti Europaei inventa lucubrationesque suas inter se communicare et in medio ponere potuerunt. Nobis autem respicientibus ad scholas atque conventus, quae in diversis Europae regionibus quotannis instituuntur ad hanc perennem Latinitatis vitam celebrandam, visum est aliquid simile temptare et *Symposium Latinum* Catinae indicere. Quo quidem incepto id efficere destinamus ut litterarum Romanarum studiosos eliciamus ad Latine disputandum maximeque ad legendum quicquid delectabile aut scitu dignum a scriptoribus cum antiquis, tum recentioribus de situ Siciliae exaratum est. Participes conventus nostri pluribus scholis Latinis intererunt, inter quas et ipsi studia sua proferent disputando, orando, scribendo. Praeterea, id quod iucundum fore arbitramur nec parum utile ad discendum, lustrabimus nobilissima oppida Siciliae ac loca pulcherrima, quae inter Pelorum et Pachynum sita sunt (Syracusas, Tauromenium, Catinam, oram Cyclopum quae vocatur etc.). Ut *Symposio Latino* interesse possis, non necesse est sane ut iam ad Latine scribendum aut loquendum valeas: sufficit ut leges grammaticas exploratas habeas.



ORDO RERUM AGENDARUM

dies I (d. 20 m. Augusti)

post meridiem: participes in deversorium recipientur.
19:30 auspicatio et cena.

dies II (d.21. m. Augusti)

ientaculum
09:00-13:00: scholae
prandium
post meridiem: Tauromenium lustrabitur.
cena

dies III (d. 22 m. Augusti)

ientaculum
09:00-13:00: scholae
prandium
post meridiem: Catina lustrabitur.
cena

dies IV (d.23 m. Augusti)

ientaculum
09:00-13:00: scholae
prandium
post meridiem Acis, Scopuli cyclopum, Acis Castrum lustrabuntur.
cena

dies V (d.24 m. Augusti)

ientaculum
09:00-13:00: scholae
prandium
post meridiem: Syracusae lustrabuntur.
cena

dies VI (d. 25 m. Augusti)

mane: participes post ientaculum proficiscentur.

Magistri:

Iosephus Marcellino anno MMXIV Pisis, in Tuscia, apud Scholam Normalem Superiorem dissertationem de litteris Latinis saeculi XV defendit doctoratumque rite impetravit. In lato huius disciplinae campo investiganda sibi suscepit quorundam humanistarum Itolorum opera; praeterea sermonis Latini cultor est neque raro ei contigit ut sive sua scripta civitate Latina donaret sive in omnium gentium conventibus oratiunculas Latine faceret. Ceterum ei datum est ut praelectiones in Studiorum Universitate Catinensi provectoribus discipulis destinatas Latine haberet.

[CV: <https://scuola.academia.edu/GiuseppeMarcellino>]

Paulus Pezzuolo Litteris Latinis Graecisque operam dat apud Scholam Normalem Pisanam. Scholas linguae Latinae inde ab anno 2012 recitare solet in aedibus Athenaei Cracoviensis, Posnaniensis, Vratislaviensis. Nuper magistri Universitatis studiorum, quae Vilnae sita est, ei mandaverunt ut per quattuor menses discipulos Lituanos, quicumque in litteris Latinis versantur, institueret eisque artem Latine loquendi ac scribendi traderet.

[CV: <https://scuola.academia.edu/PAOLOPEZZUOLO>]

Aedes, in quibus scholae recitabuntur et pernoctabitur, hae sunt:

[Le Dune Sicily Hotel](#), Viale Kennedy, 10B, 95121 Catinae CT.



Pretium: iis qui nomen dare volunt ad Symposium Latinum, ut scilicet in numerum participum recipiantur, ut conclave duobus hominibus destinatum conducant, ut cotidie ientent prandeant cenent, postremo ut omnia necessaria ad scholas audiendas oppidaque lustranda accipiant, viritum solvendi sunt nummi Europaei quingeni et quinquageni (550 €).

Voluntas participandi profitenda est apud Angelam Inferreda mystagogam, quae praeterea omnia curabit quae ad oppidorum lustrationes peragrationesque spectant. Ut nomen des, vel si plura de hoc incepto cognoscere vis, scribe ad:

info@europalatina.live

Nomina dare licet intra pridie Kal. Iun. (vulgo usque ad diem 31 m. Maii).